



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Mandata Velletrinsibus, Coranis, & Sarminitanis data ab Hugolino
Episcopo Ostiensi pro conservanda pace cum Nimphanis & Sitinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

*MANDATA VELLETRANSIBVS,**Coranis, & Sarminitanis data ab Hugolino Episcopo Ostiensi pro conservanda pace cum Nimphanis & Sitinis.*Circa annum
1207.

Dominus Hugolinus Ostiensis & Velletransis Episcopus pro facienda & conservanda pace fecit mandata quæ inferiùs continentur Velletransibus, Coranis, & Sarminitanis ex una parte, Nimphanis, Sitinis, & Iordano procuratori Sanguinei castellani Aquæ putridæ ex altera.

In nomine patris & filii & spiritus sancti. Amen. Ego Hugolinus Ostiensis & Velletransis Episcopus præcipio vobis Velletransibus, Coranis, & Sarminitanis ex parte Domini Papæ & mea ex debito præstiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejussionis promissa ut reddatis veram, puram, & perpetuam pacem Nimphanis, Sitinis, Sanguineo, fratribus & nepotibus suis, & hominibus Aquæ putridæ, & securitatem personis & rebus eorum, ita quòd nullam de cetero guerram, discordiam, vel controversiam faciatis pro omnibus captionibus & captivis, incendiis, discordiis, & rapinis, damnis & offensionibus universis datis vobis vel aliquibus de parte vestra à Nimphanis, Sitinis, Sanguineo & hominibus Aquæ putridæ, vel aliquibus de parte eorum.

Item præcipio vobis Nimphanis & Sitinis & Iordano procuratori Sanguinei castellani Aquæ putridæ ex parte Domini Papæ & mea ex debito præstiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejussionis promissa, ut reddatis veram, puram, plenam, & perpetuam pacem Velletransibus,

Coranis, & Sarminitanis, & securitatem personis eorum, ita quod nullam de cetero guerram, discordiam, vel controversiam faciatis pro omnibus captionibus & captivis, incendiis, discordiis, & rapinis, damnis & offensionibus universis datis vobis vel aliquibus de parte vestra à Velletrensibus, Coranis, Sarminitanis, vel aliquibus de parte eorum.

Item præcipio vobis Velletrensibus ex parte Domini Papæ & mea ex debito præstiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejussionis promissa ut servetis de cetero inviolabiliter pacem Nimphanis secundum formam datam olim à me, quæ in instrumentis publicis continetur factis per manus Oddonis & Alberici judicum Velletrensium & Berardi scriniarij Nimphani, exceptis omnibus capitulis in quibus de mandato meo à Nimphanis est vobis Velletrensibus satisfactum; hoc adjecto, ut si quando necessitate cogente equitaveritis contra eos, tribus diebus antè ipsis denunciare curetis. Et tunc si equitaveritis, equitabitis sine occisione, mutilatione, & incendio. Et hæc omnia præcipio salva in omnibus Dei omnipotentis reverentia & honore, & salvo mandato Domini Papæ & ejus adjectione & declaratione.

Item præcipio vobis Nimphanis ex parte Domini Papæ & mea ex debito præstiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejussionis promissa ut de cetero servetis inviolabiliter pacem Velletrensibus & secundum formam datam olim, quæ in instrumentis publicis continetur factis per manus Oddonis & Alberici judicum Velletrensium & Berardi scriniarij Nimphani, exceptis omnibus illis capitulis in quibus de mandato meo à vobis est Velletrensibus satisfactum; hoc adjecto, ut si quando necessitate cogente equitaveritis contra eos,

tribus diebus antè ipsis denuntiare curetis. Et tunc si equitaveritis, equitabitis sine occisione, mutilatione, & incendio. Et hæc omnia præcipio salva in omnibus Dei omnipotentis reverentia & honore, & salvo mandato Domini Papæ & ejus adjectione & declaratione, & salvis omnibus justitijs apostolicæ sedis, & juramento præstito Comiti Jacobo Domini Papæ Marefcalco.

Conligationes præterea, societates, & juramenta hinc inde facta cum aliquibus contra formam pacis & præstita juramenta & pro facienda guerra, quia contra Deum sunt, & bonum pacis impediunt, irrita omnino decerno. Et omnes quicunque conligationes, societates, vel juramenta prædicta fecerunt denuntio juramenti talibus non teneri, maximè cum per apostolicam sedem societates & conligationes hujusmodi sint specialiter interdicitæ.

Tenutas verò & possessiones Nimphanis, Sicanis, Coranis, & Sarminitanis, & hominibus Aquæ putridæ, & aliis omnibus præcipio esse salvas. Et si super eis aliquid, quod absit, exortum fuerit quaestionis, ad superioris judicium recurratur, vel si malueritis, per arbitros aut amicabili concordia terminetur.

Et suprædicta omnia præcipio sub pœna mille librarum, præter prædictas pœnas; cujus medietas Ecclesiæ Romanæ, aliâ verò parti quæ contra formam pacis & mandata prædicta offensa fuerit persolvatur. Et salvis omnibus alijs mandatis quæ Dominus Papa vel ego per nos ipsos litteris vel nuntio utrique parti duxerimus facienda.

